Ergo quid faciat aliud jam nostra Camoena,
Quàm bona ut ore pio
De corde verba funditet?
Pone graves et amaras, Ordo Amplissime, curas
Indue lætitiam,
Et blanda carpe gaudia.
Gaudia carpe, insto, quod dextra benigno Jehovæ
Ordia è fausta Tibi
Anni novi concesserit,
Corpus quod vix unius converterit urnæ;
Mors ubi sæva alibi
Quamplurimos dempsit Patres
Permultis alibi siquidem rupêre Sorores
Stamina: Morta ferox
Multis ocellos clauserat.
Vos sed adhuc superatis et ætheris aura
Vescimini liquidâ
Salvi et superstites.
Salvi atq incolumes tractatis jura Senatûs:
Vos super esse videt
Nostra inclytæ urbis curia.
Quapropter merito dulci Vos cantat avenâ
Nostra Camoena precans
Vivatis ut salvi amplius.
Ingrediare Patrum Ordo novũ feliciter annum
Egrediare Gyge
Immò Metello faustior.
Lilia quot tellus genetrix ditissima rerum
Concipit atq parit
Tepente veris tempore:
Celsi quot tumido volvunt in æquore fluctus,
Quum movet Auster aquas
Vagas profundæ Tethyos: